

ista scientia approbationem, et decretum, ut futuritio sub statu conditionato sit determinata, et non suspensa, non vero ut parificetur conditio, et extra causas ponatur, non pervenit ista scientia ad hoc ut sit scientia visionis, sed abstractiva manet, licet in potentia, et in fieri, et secundum quid sit visionis, scilicet conditionate, quæ est dictio diminuens, videlicet quæ esset visionis, non quæ sit de facto. Nec inconvenit quod ea, quæ solum reductive ad aliquid pertinent, reducantur ad plura juxta diversa quæ participant.

XLVI. Ad id quod ultimo dicitur in argumento, quod hæc scientia media est utilissima pro gubernatione et providentia agendorum, respondetur quod hæc scientia media sine decreto non est certa, sed tam indifferens, et contingens sicut objecta ipsa in se, unde ad nihil servit sine decreto, nisi ut providentia sit timida, et incerta sicut nostra. Posito autem decreto jam non est scientia media. Deinde, si posset sine decreto dari ista scientia certa, serviret pro providentia humana, quæ ex rebus desumitur, et non habet omnia in manu, et potestate sua. Sed quid ad Deum, qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, et quidquid objecta ipsa cognoscibilitatis habent, totum a manu Dei est? Ergo Deus attendendo ad se, et ad suum velle, videbit omnia illa, non independentem ab eo. Quod vero sapientes respondent conditionate, supponendo sic esse verum, respondetur supponere quod sit verum in conditionalibus conditionis necessariæ, certo; in conditionalibus conditionis contingentis conjecturaliter quantum est ex meritis objecti, certo autem ex dispositione divina. Unde in his sæpe falluntur, nisi ad Dei voluntatem se referant, qui disponit, et scit quid futurum esset.

## ARTICULUS VI.

*De aliis quæ ad pleniorum hujus controversiæ cognitionem et statum pertinent.*

I. Quæ hucusque disputata sunt in utramque partem hujus controversiæ satis ostendunt totum pondus fere disputantium in id incubuisse, ut res hæc ad dogmaticam decisionem reduceretur. Ad hoc enim tanta disputationum paratura a Sede Apostolica accuratissime cummulata est, quia rem hanc gravissimam censuit, et ad ecclesiastica dogmata pertinente iudicio Ecclesiæ terminari debere. Quod etiam videtur sic iudicatum esse tempore Pauli v post absolutas omnes disputationes de hac materia, iudicatum enim fuisse dicitur, ut ista controversia apostolica definitione terminaretur, licet de facto terminata nondum sit, de quo satis, quod utique non fieret nisi res hæc ad ecclesiastica dogmata pertinere videretur. Et quidem non licere in parte alteram partem mensurare, aut qualificare ex mandato Pauli v et Urbani viii, constat. Nec licere etiam scribere, et imprimere in materia auxiliorum divinatorum ex edicto ejusdem pontificis iterum roborato, et confirmato a sanctissimo domino nostro Urbano viii, in congregatione generalis inquisitionis die 22, maii 1625, manifestum est. Nunc autem quid de scientia ista sentiri possit, et quam sobrie, et caute loquendum sit, et quam graviter tractanda res ista, in præsentem agendum est. Ante omnia amputanda sunt dieteria, omnia scommata, irrisiones, aculei verborum, quorum aliqua parcimus referre, sed potius patienter ferre, ne disputationem felleam, sed pacificam faciamus, ut deceat sanetos, ut deceat graves et doctos viros in re

seriosissima, in disputatione plena iudicii, et auctoritatibus.

Igitur licet circa scientiam mediam ut conducit ad tractandam materiam de auxiliis censurare non liceat, nec qualificare, tamen cum disputationes de illa habitæ ordinentur ad elucidandam materiam, quæ iudicio Sedis Apostolicæ potest terminari, non eodem modo informari debemus circa illam sicut circa quæstiones pure scholasticas, et metaphysicas. Unde ipse etiam summus pontifex Clemens viii, in disputationibus habitis de his materiis, cum auctoritates scholasticorum adducerentur, ipse sanctissimus dominus in congregatione octava legit in Concilio Tridentino quomodo ad res fidei tractandas, et definiendas his debemus uti testimoniis. Primo, litteris sacris: secundo, auctoritate approbatorum Conciliorum: tertio, auctoritate sanctorum patrum. « His uti debetis, ait, non autem scholasticis auctoribus quos adducitis. » Si ergo constat, quod tota hæc materia disputata fuit more dogmatico, et ordinando illam, non ut resolveretur tamquam pura quæstio metaphysica, sed ut terminanda auctoritate Sedis Apostolicæ, de hoc ergo informabimus etiam lectorem, supersedendo ab omni censura, et qualificatione.

## QUÆ FACIANT PRO SENTENTIA THOMISTARUM.

II. Primo loco, maxime attendendum est ad traditionem, et doctrinam patrum in his, qui contra errores scripserunt: et secundo, ad iudicium auctorum, qui illam partem docent, aut sequuntur, et præcipue si ex professo tractetur aliqua doctrina, et ventiletur jussu ipsius Ecclesiæ, et Sedis Apostolicæ, sicut hæc materia ventilata fuit, maxime

ponderat scire quid in talibus disputationibus, et collocationibus conclusum fuit, aut placuit disputantibus, vel majori parti eorum.

Quod attinet ad traditionem, et doctrinam patrum in hac materia de gratia, et prædestinatione, Ecclesia pertulit semper, et secuta fuit S. Augustinum: id enim declarant illa verba Hormisdæ papæ ad Possessorem episcopum in fine epistolæ ubi inquit: « Quod ea quæ sentit Romana Ecclesia de gratia, et libero arbitrio, ex libro S. Augustini maxime ad Hilarium, et Prosperum cognosci potest. » Et Joannes papa secundus in epistola ad Abienum senatorem, et alios, ubi inquit: « Item S. Augustinus cujus doctrinam secundum statuta prædecessorum meorum, Romana sequitur, et probat Ecclesia. » Sic ergo quasi in uno Augustino confluit totum quod in thesauris Ecclesiæ circa controversias de gratia scire debemus, et possumus, ipsum enim sequendo, sequimur doctrinam quam Romana probat, et sequitur Ecclesia. De sensu ergo Augustini satis superque egimus totis his articulis præcedentibus, præsertim tertio. Sed insuper ex multis signis quasi a posteriori scientiam mediam non fuisse approbatam ab Augustino non in ejus visceribus et latebris inclusam, nunc postremo erutam in lucem, docte et plenissime ostensum est a cursu theologico Carmelitanorum in i p. tract. iii de scientia Dei, disput. x, per plura dubia, præsertim ii, iii, iv et v. Ad quem fontem lectores remittimus, qui abundantius saluberrimam sapientiæ aquam haurire desiderant. Nos breviori discursu hoc punctum contrahimus.

III. Constat apud omnes in controversiis de gratia cum hæreticis, illud difficillimum semper visum esse, nempe veram, et genuinam tradere rationem conciliandi infalli-



bilitatem gratiæ, et prædestinationis Dei cum fallibilitate, et contingentia humanæ voluntatis. Ut enim inquit S. Augustinus: «Ista quæstio ubi de arbitrio voluntatis, et Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri,» ut habet libro de gratia Christi contra Pelagium, c. XLVII, et libro IV contra Julianum, c. VIII. Si ergo tantam in hoc difficultatem sensit Augustinus non est dubium ipsum etiam conatum fuisse quantum potuit eam evincere. Et cum non sint nisi duo modi conciliandi inter se oppositi, et contradictorii, alter qui affirmat, decretum Dei et gratiam quæ est decreti causatio, et executio, esse ex natura sua efficacia, sed nihilominus salvare libertatem, quia non solum sunt efficacia ad hoc ut actus nostri fiant, sed ut modo libero fiant, et ideo licet antecedant, non destruere, sed servare libertatem; alter qui negat hoc decretum, et gratiam esse ex natura sua efficacia, sed tamen habere infallibilitatem ex præscientia qua vidit Deus ante omne decretum suum, quid factura sit libera voluntas nostra, ideoque talis infallibilitas eam non tollit, quia præsupponit eam, et præsuppositam præscit, et præscitam decernit, videndum est ex his duobus modis conciliandi libertatem, an utrumque tradiderit, an alterum tantum, et quem, an nullum? Si nullum tradidit, mansit ista difficultas insuperata, et vicerunt hæretici Ecclesiam usque ad tempora Molinæ, quia secuta est doctrinam Augustini. Si utrumque tradidit, vel uterque probabilis tantum est, et solum probabiliter solvit difficultatem, et sic unus juvatur ex alio multiplicando solutiones: vel uterque est certus, et certo solvit difficultatem.

Hoc secundum esse non potest, quia sunt modi illi contradictorii, et sic uterque non potest esse verus nec certus: præterquam quod si sic esset jam faterentur defensores scientiæ mediæ certum esse nostrum modum dicendi, et sic quomodo illum impugnant, et rejiciunt tamquam malum, si certus est, et Augustinus non rejecit? Ut quid dicunt scientiam mediæ esse necessariam ad libertatem salvandam, et sine ipsa non salvari, quomodo apud auctores, qui Augustinum sequuntur tam scholastici, quam alii non uterque modus invenitur, cum de scientia mediæ mentionem non faciant antiqui? Si primum, ergo tenebuntur defensores scientiæ mediæ utrumque illum modum admittere, si utroque Augustinus usus est ad juvandam solutionem difficultatis, quod tamen ipsi non faciunt, sed nostrum rejiciunt, ut non salvantem libertatem, neque conciliantem illam, imo Molina dicit quod si fuisset hæc scientia mediæ ab Augustino explanata, et tradita, non ita turbarentur fideles ex disputationibus Augustini nec forte Pelagiana hæresis fuisset exorta, ut supra retulimus articulo tertio, quod locum non haberet si ex alia parte faterentur nostram sententiam, etiam tradidissent Augustinum ut probabilem. Et cum Semipelagiani volebant eam probare ex his quæ ante docuerat Augustinus ut Hilario in epistola sua scripsit, cur non eis respondit: Ita est ut dicatis, et ita etiam sentiri potest probabiliter, sed explicavit se ipsum, quod illa dixerit sine præjudicio latentis consilii Dei, etc. ut patet in libro de prædestinatione sanctorum IX, et jam supra late ponderavimus. Denique, quomodo isti duo modi inter se contradictorii possunt simul ut probabiles convenire ad solvendam istam difficultatem, si in hoc ipso contradicunt, quod ille, qui

adstruit scientiam mediæ dicit sine ipsa libertatem non servari, qui negat dicit cum ipsa gratiam non esse efficacem, et perire gratiæ efficaciam, atque diminui, sed dependentem reddi a nostro arbitrio? Si ergo utraque ista contradictio probabilis est in Augustino inferet hæreticus contra Augustinum et contra Ecclesiam vehementem consequentiam, videlicet, ergo probabile est quod vel libertas non servatur, vel gratia evacuatur, et diminuitur, quia admittitis ut probabiles duos contradictorios modos, qui in hoc contradictorii sunt quod unus dicit, sine scientia mediæ perit libertas, alter cum scientia mediæ perit efficacia gratiæ. Non ergo isti duo modi conciliabiles sunt tamquam uterque ad probabilem solutionem illius difficultatis conveniat, et se juvent. Ut omittam non videri parvum inconveniens, quod in concilianda libertate cum divina prædestinatione, quod pertinet ad certum dogma catholicum, non inveniatur hucusque Ecclesia nisi probabilem solutionem, non certam, et tamen tamquam certum tradat conciliatam esse, ut omnes fateri tenemur. Et Ecclesia dicit se sequi in hac parte doctrinam Augustini.

IV. Si vero dicatur Augustinum unum tantum modum tradidisse conciliandi libertatem cum divina præscientia, vel ille fuit admittendo scientiam mediæ, vel negando illam omnino. Si hoc secundum dicatur, intentum habemus, si enim semel constiterit negasse omnino S. Augustinum scientiam mediæ, et nec manifeste, nec obscure eam tradidisse, fit consequens quod vel scientia mediæ non est necessaria ad conciliandam libertatem nostram cum divina gratia, vel Augustinus ignoravit medium necessarium ad talem conciliationem, nec hæreticis respondit quantum ad hanc diffi-

cultatem, et per consequens nec Ecclesia tota, quæ in his materiis de gratia professæ est se sequi Augustinus. Unde si modo per Molinam edocta est Ecclesia catholica de his, quæ ignoravit per Augustinum magna turbatio sequitur quod debeat Ecclesia retractare quod ipsa dixit se Augustinum sequi in his materiis de gratia, et quod per tot sæcula ipsa non satisfacit hæreticis in hac difficultate, sed in caligine, et tenebris jacuit in materia adeo gravi, donec Molinica ista lux ei exorta est. Quis autem non magis eligat cum Augustino ignorare, quam cum Molina intelligere? Si vero dicatur primum, quod Augustinus admisit illum modum scientiæ mediæ, vel fuit manifeste, et constanter in omnibus locis, quibus de hac materia locutus est, vel solum occulte, et obscure, ita ut usque ad hæc tempora non fuerit plene nota mens Augustini vel manifeste docuit alterum modum oppositum, et occulte scientiam mediæ. Hoc ultimum est incidere in sententiam jam impugnatam quod Augustinus utroque modo usus fuerit, et redeunt argumenta facta: insuperque non sæviter Ecclesiam decepisset Augustinus, et ipsa deceptionem passa esset, si occultavit modum quem Molina dicit esse omnino necessarium ad hanc conciliationem, et ad respondendum hæreticis, et manifestavit alium non ita conducentem sicut non conducere putant defensores scientiæ mediæ. Si dicatur primum, manifeste est falsum, cum constet Augustinum non facere mentionem scientiæ mediæ, quin potius eam sæpe rejicere, ut ex locis citatis, articulo tertio constat; similiter neque apud auctores qui post Augustinum scripserunt usque ad tempora Molinæ mentio ulla est de hac scientia mediæ, et de modo concordandi per illam nostram libertatem; quomodo



ergo si Augustinus docuit manifeste, et constanter scientiam mediam, omnes deinceps auctores usque ad Molinam non intellexerunt ipsum in eo quod manifeste, et constanter docuit: item quomodo dicit Molina quod si explanata fuisset hæc scientia media ab Augustino non fuissent turbati fideles ex ejus concertationibus cum hæreticis, ergo non docuit eam manifeste, et semper Augustinus. Item quomodo verum est quod dicunt defensores scientiæ mediæ, ipsos ex lateribus patrum eam eruisse, et quasi occultam manifestasse, nec apud auctores antiquos de ea fuisse tractatum, si ita manifeste eam docuit Augustinus et traderunt alii auctores post ipsum? Hoc autem sic dicere constat in primis ex Fonseca VI met. c. II, quæst. VIII, ubi dicit se illam ab antiquis patribus traditam, et in tenebris jacentem primum invenisse; constat ex Molina qui eam tamquam a se inventam, et non ab Augustino explanatam, nec traditam docet locis supra articulo I et IV notatis: constat ex Vasquez, qui in præsentis disputatione LXVII, c. IV, dicit quod antiqui scholastici de hac scientia sub conditione nihil omnino disputarunt, aut meminerunt, etc. constat ex Herice I part. disp. VII, c. X, ubi dicit hanc scientiam latuisse scholasticos, et a suis erutam tenebris, in quibus jacebat assidua, diligentique patrum lectione; et de eodem videri potest Granados hic tractatu V, disput. III, sect. II. Et certe hæc est communis omnium conceptio hanc scientiam esse noviter explicatam et propositam, et tamquam peculiare scholæ societatis, ab illa edoceri. Unde miramur p. Suarez in prologomeno II de gratia, cap. I, n. XII, dixisse quod hæc sententia de scientia media in auctoritate antiquorum scholasticorum aliam superat, et non potest nova vocari.

Certe si ita communis fuit inter scholasticos antiquos, et ab Augustino usque ad nos, non jacet in tenebris, sed manifeste fuit asserta, et communiter tradita, et fuit modus, quo Ecclesia Augustinum sequens communiter conciliabat libertatem nostram cum divina gratia, magis mirari possumus quomodo Apostolica Sedes in tot congregationibus eam ventilari permisit, et contra eam delationes suscepit, ac non potius statim declaravit calumniose sugillari opinionem ita communem inter theologos si communis est, et manifeste tradita ab Augustino et ab Ecclesia secuta communiter.

V. Denique, sidicatur Augustinum non manifeste hanc scientiam tradidisse, et modum conciliandi libertatem, et respondendi hæreticis, sed obscure, indeque in lucem manifestatam a Molina certe hoc valde injurium videtur ipsi Augustino, quomodo enim doctrinam ita opportunam, et necessariam difficillimæ controversiæ componendæ, et hæreticis respondendi (quam difficultatem ipsemet agnovit) non manifeste publicavit, et docuit, si re vera agnovit, et tenuit sententiam de scientia media, ut dicunt, sed ita occultavit, ut auctores qui postea eum secuti sunt, et Ecclesia tota quæ ejus probat, et sequitur doctrinam, usque ad tempora Molinæ non potuerint necessarium hunc modum conciliandi libertatem invenire, et eruere? Potius enim in modo conciliandi opposito usque ad ea tempora versata est Ecclesia, si quidem cum istum primo Molina docuit, novus et inusitatus apparuit. Præterea cum paulo ante Molina Ecclesia hæresibus Lutheri, et Calvinii oppugnata, et afflicta Concilium generale indixerit Tridentinum ad illas hæreses conterendas, inter quas præcipua est ista de gratia, et libero arbitrio, et modum conciliandi liber-

tatem cum gratia tractaverit, ut hæreticorum perversitas confundere-retur, quomodo in erunda illa occulta scientia media, et modo conciliationis ab Augustino tradito, illi Spiritus Sanctus non adsistit, nec voluit ut Ecclesia tunc necessarium, et verum modum conciliandi libertatem inveniret, ut hæreticis plene, et certo satisfaceret, voluit autem id primum manifestari Molinæ, et ab eo Ecclesiam edoceri, in quo edocta non est a Concilio universali de ea re agente. Aut si Concilium id invenit, ostendant ubi id dixerit, ubi descientia media locutum fuerit, ubi efficaciam gratiæ, et decreti divini ex natura sua denegaverit, quomodo si id docuit non omnes obviis manibus exceperunt, sed potius prodeunte scientia media delata est ejus causa ad Sedem Apostolicam, eam quæ Sedes Apostolica ventilandam censuit, non vero juxta Concilii decreta jussit acceptari, et venerari? Certe hæc omnia in genere morali, et dogmatico non leve pondus injicere, nemo est qui non videat.

#### QUID DE ROMANIS CENSORIBUS.

VI. Carmelitani theologi, I p. tract. III de scientia Dei, disp. X, dub. III, § II, referunt quomodo causa hæc de scientia media, et aliis propositionibus Molinæ ad summum pontificem delata est, a quo triginta gravissimi viri sunt designati, qui huic causæ ventilandæ assisterent, ut coram ipso summo pontifice disputaretur, et quod ex omnibus illis uno, vel altero excepto, cuncti alii eam protulerunt sententiam, nimirum nec Augustinum, nec Angelicum doctorem ulla ratione docuisse scientiam mediam, sed ei refragari. Rem hanc ab ali-

quibus in suspicionem vocari, aut pro indicta haberi velle audivi, quæ certe si falsitatis vitio laborasset, profecto satis temporis evolutum est (sex anni sunt ex quo liber est publicatus) ut posset ab adversariis tale testimonium, et historia infringi, vel redargui. Sed factum est, et ita factum tenet. Ut autem ab animo lectoris omnis de hoc dubietas pellatur, et magis ac magis constet quantum pro hac sententia ponderaverint illi designati iudices, et quomodo inde argumentum trahatur pro eruenda mente Augustini et patrum, aliorumque auctorum, sciendum est duplicis generis sessiones, seu congregationes jussu Clementis VIII, circa hanc materiam habitas esse. Quædam coram ipsis censoribus tantum, aliæ coram summo pontifice, et cardinalibus ab eo designatis, aliisque consultoribus, et hæc fuerunt congregationes numero quadraginta septem, videlicet triginta septem, coram Clemente VIII, et reliquæ coram Paulo V, ejus successore. Aliæ vero congregationes quæ fuerunt habitæ coram censoribus, sed non coram summo pontifice, etiam, ut accepi, fuerunt totidem, scilicet quadraginta septem, sed non licuit eas ad longum videre, sicut quæ habitæ sunt coram summo pontifice; obtinimus tamen ex libro quodam manuscripto reverendissimi domini Francisci de Pegna rotæ decani, qui præsens affuit, transumptum quoddam cum testimonio notarii fide digno, ubi refertur quid censores, seu theologi illi coram quibus habitæ sunt congregationes priores, scilicet in conspectu summi pontificis judicaverint de scientia media. Testimonium sic habet.